



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Excerpta quædam litterarum ejusdem ven. Matris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

EXCERPTA QUÆDAM

Litterarum ejusdem Ven. Matris ad animæ suæ
rectorem scriptarum.

Ex Litteris datis 10. Augusti 1689.

Divinissimum illud Christi Cor totam me tenet
affidue veluti mersam mari amaritudinum, & abyf-
so humiliationum atque abjectionum, ut ipsi similis
effecta, peculiari quodam cultu prosequar illum ango-
rum & ærumnarum gurgitem, quo mersum semper
fuit Cor ipsum sacratissimum Christi; divinâ justitiâ
sic ab eo ultionem de injuriis per nos Patri æterno il-
latis exigente. Quos itaque, ob stabilitum illius sa-
cratissimi Cordis regnum, nonnunquam experior læ-
titiae sensus, ii fulguris instar dicto citius abeunt, sta-
timque revolvor ad meam hanc in pace impertur-
bata amaritudinem amarissimam, quo ex fonte re-
fero mentem ad hominum laudes ac vituperia ex
æquo paratam, dum apud me statuo, talia hominum
de me judicia aliam me nunquam posse efficere ac
reipsa sum coram Deo. Per quicquid igitur inest ti-
bi amoris erga Cor Christi divinissimum, te oro,
atque obtestor, ut ab ipso Christo Domino exores
tibi gratiam perspiciendi numquid pravi habeat isce,
quem exposui, animi status, & quid sit in me quod
Domino displiceat; quod deinde totum, pio commi-
serationis officio, mihi simpliciter & aperte declarare
ne graveris: ego enim lucis egentissima, in iis omni-
bus

bus quæ ad me spectant, tota cæca sum. Quamobrem, ne quid in me obstet sacratissimo Cordi majorem sui cognitionem & amorem hominum mentibus injicere volenti, sæpe verita, eo adducor ut cupiam eximi, si Deo placitum foret, hac misera vita, in qua mihi una voluptas est perpetuo pati in similitudinem hujus dilecti animarum nostrarum, qui me tam acri urget patiendi fame; ut miser famelicus cibum non possit excipere ore avidiori, quam ego corde expetam panem suavissimum dolorum, contentus, humiliationes, hominum denique de me oblivionem & propriam cum rubore abjectionem.

Littere date 3. Novembris 1689. sic incipiunt:

Nunc igitur adest tandem illud tempus, quum corda nostra sine intermissione oportet absumi divino illo incendio sacratissimi Cordis amabilis Jesu nostri; qui quum intra se jam non contineat sacras illas flammæ, easdem tam ardentibus intorquet in corda huic igni concipiendo fatis aptata. His ergo flammis ardere nobis detur in perpetuas æternitates.

Deinde sub finem Epistolæ postquam exposuit nonnullas gratias, & sibi concessa a Deo lumina, pergit in hanc sententiam:

De his nihilominus quid sentias mihi velim significes, & quo ex spiritu hæc omnia tibi videantur esse profecta: quamquam enim ejusmodi gratiarum effecta sunt nulla nisi amor, pax, mei ipsius coram Deo despicientia ex proprii nihili intuitu or-
ta

ta, in eo tamen, quod de iis facere te rescribes, iudicio plane acquiescam. Imo hæc omnia licet mihi ostenderis meras esse fallacias, meramque illusionem, videor mihi nihil propterea animum contractura; quod talibus gratiis nunquam animo adhæserim, sed ei soli, quem ipsarum auctorem esse arbitrata sum Domino meo Jesu Christo, quem a me tollere, cujus e complexu me divellere, nemo est, ut mihi quidem videtur, qui possit: idque mihi satis superque est.

Ex Litteris datis 17. Januarii 1690.

Voluit me supremus Dominus noster dolores intimos atque angores animi experiri hisce diebus antecederalibus, quum tot hominum peccatis offenditur, atque a tam multis deseritur; & hoc tempus ita existimo mihi tempus esse doloris & amaritudinis, ut mihi nihil obversari ante oculos mentis, nihil sapere possit, præter Jesum meum dolentem & derelictum, dum ipsius dolorum in partem venio; quorum sensum tam acrem mihi inurit Cor ipsius sacratissimum, ut me ipsa non agnoscam. Nihil est, quod in manibus divinæ justitiæ non fiat instrumentum aptum ad cruciandam hanc victimam peccatis onustam. Nihil itaque possum aliud nisi memetipsam tanquam hostiam placationis immolare ejus sanctitati, quæ justitia est, tam terribili certe quidem inquinatis peccato hominibus, ut plane confitear, nisi me tantum confirmaret ipsius sanctitas, quæ amor & misericordia est, quantum justitia ipsa suæ severitatis pondere me premit,

mit, me huic oneri, vel punctum temporis ferendo non futuram. In his tamen omnibus pace imperturbata fruor, nihil studens nisi beneplacito divinæ voluntatis acquiescere, quæ si fiat, id unum mihi instar omnium est. Neque vero mihi posse videbar respondere tuis litteris, at mihi in mentem venit, si Deo cordi sit, ut rescribam, ab eodem mihi datum iri, ut id possim, eo quo placitum ipsi fuerit modo; ego enim in præsentia nullam aliam, quantum in me est, vellem vocem edere nisi hanc, *tristis est anima mea usque ad mortem*; vel hanc Salvatoris mei e Cruce pendens, *Deus meus ut quid dereliquisti me*; & rursus hæc ejusdem Christi verba, *Pater dimitte illis*. Quanto autem patior magis, tanto magis uri me sentio patiendi siti. Quamobrem æquum mihi videtur futurum si res omnes creatæ præsto sint, & velut ad manum divinæ justitiæ tamquam instrumenta ad me excruciamdam expedita. Quamquam nihil opto, nihil posco, satis habens subesse totamque me permittere divino arbitrio.

Ex Litteris datis 18. Februarii 1690.

Fateor tibi sic augeri meos animi dolores, ut identidem tartarea omnis turba videatur in me libere debacchari, in meumque prorsus interitum conspirasse: hunc in modum undique impetita, nullo tamen timore percellor, totam me abdens penitusque insinuans in arcem meam munitissimam Cor sacratissimum Jesu Christi Domini mei, qui tanquam dux

R r &

130 DE VITA VEN. MAT. MARG. ALACOQUE.
& moderator sapientissimus, quantum mihi necesse
est virium, ad singulos impetus sustinendos, tantum-
dem omnino mihi in ipso opportuni temporis articu-
lo, nec plus minusve impertit.

Ex Litteris datis 16 Maji 1690.

Supremus Dominus meus tota est fortitudo mea
ac firmamentum meum, in mediis quibus varie jacta-
ri non desino angoribus & ærumnis, quæ nonnun-
quam eo usque progrediuntur, ut mihi tantis pro-
cellis concidendum esset millies, nisi relevarer per il-
lud, de quo dixi, præsidium Cordis Jesu mei amabi-
lis in factissimo Sacramento; quod præsidium si mihi
tollatur, perierit profecto mihi omnis lætitia, delecta-
tio omnis, omne in hac vita solatium. Jamque tibi
fatebor pro ea qua ad te scribo fiducia, indubitatum
me experiri effectum eorum verborum, quæ audivi
a Domino meo quum primum cœpit ad amabilis
Cordis sui cognitionem me adducere; quibus verbis
significavit indignæ ancillæ suæ, velle se facere ut vi-
ta mea proxime accederet ad similitudinem vitæ ho-
minis Dei, atque adeo effecturum se ut evaderem in
verum exemplar Jesu pauperis, abjecti, contemti, &
dolentis, prorsusque derelicta essem & omni destitu-
ta præsidio: quod ita præstat Dominus meus, ut sæ-
pe exclamem cum ipso Jesu meo e Cruce pendente,
Deus meus ut quid dereliquisti me?

EDI-